

CLANGOR

propter hoc potest intelligere naturam elementorum primorum, post diuisionem tertie substantie primordialiter creatam. Non intelligas quod eorum substantia sit simplex elementum quintum, sed substantia tertia vel quarta, aut secunda, aut prima, elementata a parte quinta quam nos vocamus primordiale, & substantiam simplicem, per quam dicte substantie quatuor elementales elementate sunt, quaelibet secundum suam naturam sicut superius declaratum est. Ista quatuor elementa sic creata, restant ut pura & clara, ratione eorum clare partis nature, a qua erunt creata usque ad tempus predictum quod exiuit a natura, aut adhuc usque ad Anathuel prius predictum, sed ex post, mortui sunt homines & animalia, & nascentia terre desiccata, cum destructione generationis, ducta a corruptione in generationem, & ex post, a generatione in corruptionem. Itaque corpus impurum resolutum manet hoc, quod contagiavit & corrumpit elementa, propter quam corruptionem omnis res viuibilis est parue durationis, quoniam natura non potest facere rem ita perfectam ratione sue materie grossae & corruptae, sicut faciebat in suo principio. Imo dum magis continuat sua operatione, plus deuastatur supra naturam, imperfectione participando cum magna corruptione propter materiam quam quotidie inuenerit minus

pu